



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Imago saeculi XVII. ad annum huius saeculi X. producta

Neuhusii Paderbornae, 1710

Annus 1606.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29436

que duo Fratres ac quatuor liberi baptizantur à P. Balthasare Barreira Soc. Jesu.

Horrenda solis defectio mense Octobri.

In Belgio spinola tum per se, tum per Ducem Buquojum egregiè rem fidei, & Alberti Archi-Ducis contra Mauritium promovet.

In Anglia præsenti periculo Rex servatus cuniculo subter locum comitiorum ducto, quo ipse, cunctique proceres nitrato pulvere periissent, nisi sub ipsum penè rei gerendæ articulum delatæ insidiæ discrimen discussissent. Sævitum inde crudeliter in catholicos, & multi etiam innocentes suppliциis immanibus affecti, Hæresi Neroniana sæcula renovante.

Illustris fuit mors Henrici Garneti Soc. Jesu Sacerdotis etiam prodigiis; nam gutta Sanguinis ex dissecto corpore decidens in spicam tritici veram Henrici effigiem depinxit cum corona & cruce. Cultus inde à plerisque pro Martyre, quem tanto miraculo Deus ipse depinxisset; causa mortis, quod conspirationem pulverariam cognitam in confessione non detexerit prohibitus Sigillo.

ANNVS 1606.

IN Italia civile exoritur incendium inter

Saculi decimi septimi.

Pontificem & Venetos , illo jus Ecclesiasticum vindicante , istis politicum , brevi tamen flamma restincta à seq uestro pacis Rege Christianissimo , omnibus in integrum restitutis , præter PP. Societatis JESU , quibus primum in Pontificem obsequium Venetiis stetit .

Eorum tamen doctrina de auxiliis gratiæ & libero arbitrio à Pontifice pronuntiata est Orthodoxa , & immunis ab erroribus , vetitumque sententiam alterutram insimulare Hæreseos .

In Moscovia Dux Demetrius à furentibus Russis in frusta concisus ; Causam fætori dedisse ferunt , quod in officiis populares præteriret , exteratos soveret , nec à Romana fide abhorreret .

In Polonia Rex Sigismundus perduelles heterodoxos compescit , armisque sibi Regnum firmat .

Sanciuntur vicennales Induciæ cum Turcis , Bozkajo & Liberis ejus masculis conceditur jure hæreditario Transylvania .

In Belgio moritur Justus Lipsius vir literaturæ insignis , qui vel in ipsa Antiquitate , quam è rudèribus evolvit , antiquissimam futuris sæculis nactus est memoriam .